



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Cvræ Pastoralis Præcipve Circa Repentina & Generaliora

Possevino, Giovanni Battista Bernardino

Coloniæ Agrippinæ, 1645

Fel. rec. Urbani 8. Constitutio 29. Bullarij tom. 4. Urbanvs Papa VIII. Ad
Fvtvram Rei Memoriam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42220

fariorum, qui non contemnendam legentibus
utilitatem pariet.

Hos viginti quinque articulos dignos cen-
sui, Fratres, quos, quia alijs pluribus occupa-
tionibus impeditus fui, melius componere at-
que explicare non potui, vti nec reliqua quæ
huc faciunt, scripto committere. Interim a-
nimam meam diuinæ misericordiæ commen-
tate, quemadmodum ipse à parte mea sanctam
illius vobis benedictionem ex corde exopto.

Fel. rec. Urbani 8. Constitutio 29.
Bullarij tom. 4.

VRBANVS PAPA VIII.

AD FVTVRAM REI
MEMORIAM.

CVM, sicut accepimus, aliquibus Reli-
giosis quorundam Ordinum, seu Congre-
gationum à Sede Apostolica indultum
fuerit, vt sacramentales personarum secularium
Confessiones audire valeant, etiamsi ab Episco-
pis Diocesanis ad id examinati, & approbati
non fuerint; nec desint, qui temerè asseuerent,
hoc ipsum Priuilegium ceteris quoque aliorum
Ordinum Regularibus competere, ex amplis-
simis Priuilegiorum communicationibus, quas
ab eadem Sede Apostolica obtinuerunt, & hinc
saluberrimum Sacri Concilij Tridentini De-
cre-

cretum, desuper sancitum penitus euertatur; Nos huic malo opportunè prouidere volentes, De Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotijs regularium prepositorum consilio, omnia, & singula indulta huiusmodi, audiendi secularium Confessiones absque Ordinarij examine & approbatione, quibusuis Collegijs, Capitulis, Religionibus, Societatibus, etiam Societati Iesv, Congregationibus, & Ordinibus, tam mendicantium, quàm non mendicantium, necnon Monachorum quorumcunque etiam S. Benedicti, Cisterciensis, & Carthusiensis, ac etiam quibusuis Militijs, etiam Hospitalis S. Io. Hierosolymitani, ac quibuscunque Ecclesijs etiam Patriarchalibus & Metropolitanis, Monasterijs, cæterisque locis pijs, siue eorum & earum respectiuè Abbatibus, Præpositis, Decanis, Magistris, Ministris, Prælati, Prioribus, Rectoribus, etiam Generalibus, vel Provincialibus, Capellanis, Confessarijs aut alijs quocunque nomine nuncupatis Superioribus, & personis quibuscunq; etiam quomodolibet exemptis, ac Sedi Apostolicæ immediatè subiectis cuiuscunque dignitatis, præeminentiæ, & conditionis existentibus, & quouis privilegio munitis, & tam ad supplicationem partium, quàm Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine hactenus quodocunque & qualitercunque ex quavis, etiam de necessitate exprimenda causa, & alias quomodolibet concessa, Apostolica auctoritate, tenore præsentium reuocamus, cassa-

mus, tollimus, abrogamus, & annullamus, viribusque & effectu euacuamus, ac reuocata, cassa, sublata, abrogata, & annullata, viribusque & effectu vacua esse, & fore, nec Religionibus, Societatibus, etiam Societ. IESV, Congregationibus, Ordinibus, ac Militijs, & Ecclesijs, Monasterijsq; prædictis, eorūq; Superioribus, & personis quibuscunque in posterum vlllo modo suffragari, minusque illos, & illas, etiam si de ijs specialis, specifica, expressa, ac de verbo ad verbum mentio habenda foret, indultis huiusmodi vti posse, præsentibus verò literas, & in eis contenta quacunque etiam ex eo quod quicunque in præmissis interesse habentes, seu habere prætendentes, ad hoc vocari, & auditi non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quocunque defectu notari, impugnari, redargui, inius, vel controuersiam reuocari, ad terminos iuris reduci, aut aduersus illas quodcunque iuris, gratiæ, vel facti remedium impetrari nullatenus posse, sed illas semper validas, & efficaces existere, & fore, suisque plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere; Sicque per quoscunque Iudices Ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiti debere, ac irritum, & inane quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, de-

cerni-

cernimus, & declaramus. Non obstantibus premissis, ac quibusvis Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, Priuilegijs quoque indultis, & literis Apostolicis, Ordinibus Societatibus, & Congregationibus prædictis eorumque Præpositis, Decanis, Magistris, Abbatibus, Ministris, Prælatibus, Prioribus, Rectoribus, & alijs Superioribus, Capellanis, alijsque prædictis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatorijs derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & alijs decretis, in genere, vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi presentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque. Volumus autem quòd presentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ vel ostensæ: Quodque

eadem præsentibus literis, seu illarum exempla ad
 valuas Basilicarum S. Io. Lateranensis, ac Prin-
 cipis Apostolorum de Vrbe, & in Acie Campi Flo-
 ræ affixa omnes ita arctent, & afficiant, ac si vni-
 cuique personaliter intimata fuissent. Datum
 Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub An-
 nulo Piscatoris. Die XII. Sept. M. DC. XXVIII.
 Pontificatus Nostri Anno Sexto.

M. A. Maraldus.

*Anno M. DC. XXIX. Indictione duodecima
 Pontificatus autem Sanctissimi D. N. Papa Do-
 mini Urbani diuina prouidentia Papa Octauo
 Anno eius Sexto, Die verò luna Octaua Ianua-
 rij. Retroscripta litera affixa, & publicata
 fuerunt ad valuas Basilicarum S. Ioannis La-
 teranensis, ac Principis Apostolorum de Vrbe,
 & in acie Campi Floræ, ut moris est, per nos
 Franciscum Pignoccatum, & Pompeium Gi-
 ranum eiusdem Sanctissimi D. N. Papa Cur-
 sores.*

Brandimartes Latinus pro Mag.
 DD. Curf.

Regno

*Regulares non possunt pœnitentes suos à Casibus
Sedi Apostolica & Ordinario Diocesano
reservatis absolvere sine speciali
licentia.*

Veruntamen ne Regulares cuiusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, & Instituti etiam Archiepiscopali nostra auctoritate Ordianariâ approbati potestatis suæ limites transcendant, quæ Sacra Congregatio Cardinalium, qui Episcoporum & Regularium negotijs & consultationibus præsumt, circa facultatem absolventi à casibus Sedi Apostolicæ, & Ordinario reservatis declaravit, ex ipsiusmet Congregationis subiectis hic verbis quisque cognoscere potest.

DECLARATIO

*Sacra Congregationis Episcoporum, & Regularium, circa facultatem absolventi à Casibus
Sedi Apostolica, & Ordinario
reservatis.*

Sacra Congregatio S. R. E. Cardinalium negotijs, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita censuit, per Confirmationes Priuilegiorum, quas Regulares à Sede Apost. post Sacr. Conc. Tridentinum obtinuerunt, nequaquam reuixisse Priuilegia prius ab eodem Concilio, ac deinde etiam ipsius Congregationis Decretis sublata, atque extincta, si quæ habebant, absolventi à casibus Ordinario loci reservatis; Quemadmodum nec indulta
absol-